

Canisium lib. 1. c. 7. Coccium lib. 3. Thesauri a. 1. Salmeronem ad Rom. 5. disput. 52. Galatinum lib. 7. capite 5. Helmesium Sermone 7. de Concept. Suarez 3. part. quest. 27. disput. 3. Sect. 5. Vazquez disput. 117. Hilarium Sermone de concept. & alii multi; qui ex praefato Dominici libello memorabilem illam sententiam recitant, quae est etiam sancti Andreae Apostoli. Sicut Primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus; ita deicit in secundo Adam fieri, id est, in Christo, cujus terra, id est, Mater Virgo nunquam fuit maledicta. Lege nostrum Petrum de Ojeda in libello, quem inscripsit Informacion Ecclesiastica pro Deiparae immunitate, c. 7. ubi validissime probat, B. Dominicum, ejusque Praedicatoriam Familiam pro illa olim stetit sententia, quae servatam Virginem autumat a primae noxae contagio: aequum enim erat, ut Filii sapientissimo sanctissimoque Parenti nimirum dissentirent; praesertim cum de praefati miraculi non obicura noticia illis constaret.

S. Domin.

P. Ogeda.

Martyrologium Dominicanum.

Manuale Praedicatorum.

P. Ogeda. P. Pineda.

Numerantur nonnulli majoris nota Dominicanum viri propugnatores Mariana immunitatis.

1773 Satis haec clarere videntur ex Martyrologio Ordinis Praedicatorii typis excusis Salmanticae an. 1579. in lucem edito a Patre F. Joanne de Palencia, approbato a Patre F. Joanne Gallo Theologo praeclearissimo, & auctoritate R. P. Seraphini Cavalli Generalis Magistri totius Ordinis. Ibi ad diem 8. Decembris ita legitur: Conceptio sacratissima Virginis Mariae Genitricis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, festum totum duplex. Observat autem Palencia in Proemio ad Martyrologium, hoc a se dispositum, & correctum juxta vetustissimum aliud Dominicanae Familiae rescriptum anno 1254. post S. Dominicum annis dumtaxat 33. Consonat Manuale Praedicatorum Hispani excusum anno 1524. capite ultimo, ubi cum sermo fuisset de minus pia sententia, subditur: Sed jam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius utilitatis, & valde scandalosa, praesertim cum tota fere Ecclesia, cujus usus, & auctoritas, secundum B. Thomam, praevalet dicto Hieronymi, & cujuscumque alterius Doctoris, jam asserat, quod fuit praeservata. Vide nostros Ogeda in eo libello c. 10. & Pinedam in Notis illustrantibus Privilegium Joannis primi, Aragonum Regis, Notatione 4.

1774 Ut vero luculentiora haec fiant, ex quaplibet nonnullis producenda Dominicanos viros, & scriptores grandioris notae, qui impollutae Conceptionis Virginis praecleari extiterunt assertores. Occurrit in primis, post Dominicum, S. Raymundus Pennafortius Barcinonensis, Regius Confessarius, vir sanctitate ac doctrina illustris, ex Dominicano Ordine: floruit anno 1230. & in sanctorum numerum relatus est a Clemente VII. anno 1601. Huic sanctissimo viro, uti etiam eodem tempore Jacobo primo cognomento sancto, Aragonum Rege, & B. Petro Nolasco apparuit Deipara Virgo candidis vestibus induta, illisque Ordinis Mercedensis fundationem injunxit, explicato etiam candido Religiosorum amictu, quo ipsius candidissimam & purissimam Conceptionem testarentur, in cujus honorem tota a Nolasco Familia erat instituenda, faventibus Rege, & Raymundo, ut infra de sancto Mercedensi Ordine loquentes statuemus. Hinc in Rege, in Nolasco, in Raymundo, in toto Regno

aucta summo opere, non absque magno gratiarum faenore, in purissimam Mariae Conceptionem pietas, & studium. Hinc Raymundus de pura Virginis immunitate caeli per revelationem edoctus, maximus fuit illius vindex & Encomiastes.

Succedit Hugo de S. Caro, eminentissimus Cardinalis anno 1245. qui Virginem ab originali vitio immunem non semel perdocuit. In c. 1. Lucae ad illud: Ave gratia plena. Hugo. Sine va triplici, corruptionis, gravitatis, & doloris, quod incurrit Eva per peccatum, quod ab ea omnes mulieres, praeter Mariam, quasi jure hereditario contraxerunt. Videtis illum, & in c. 10. Lucae. Saepè alias eandem immunitatem depradicare apertissime, utpote studiosissimus Deiparae amator, id ejus scriptis abundè contestantibus.

1775 Albertus Magnus, qui anno floruit 1265. expressè tradidit puram Virginis Conceptionem in libro, quem a se Murciae relictum in Bibliotheca Fratrum Minorum, testatur nosse Salazarium de Conceptione c. 42. in saeculo 13. Alberti testimonium refert nosse Canisium libro 5. de Maria Deipara c. 27. Haec enim Virgo sola a communi illa regula excipitur: Omnes peccaverunt in Adam. Producent impugnatore conceptus immaculati Alberti Verba ex 3. sentent. dist. 3. sed vitia referuntur: verba enim illius sunt a. 4. cui titulus, An caro B. Virginis fuit sanctificata ante animationem, vel post: solvit thesim haec clausula: Dicimus, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, & qui dicunt oppositum, est Haeresis condemnata a B. Bernardo, & a Magistris omnibus Parisiensibus.

Albert. Magn.

1776 Eodem tempore floruit S. Thomas Aquinas, Angelicus Doctor, & Mariae, vel a maternis uberibus, studiosissimus. Qui videtur 3. p. q. 27. a. 2. & 3. dist. 3. q. 1. a. 1. & 2. & quodlib. 6. q. 4. a. 1. sententiae commaculanti Virginis Conceptionem perspicue subscribere. Sed sunt Thomistarum nonnulli, & plures alii haud infima notae scriptores, qui D. Thomam interpretantur, & in bonum sensum alliciunt. Sunt etiam viri doctrinae & religione conspicui, qui probare contendunt, Angelicum Doctorem nunquam, & nusquam minus pie de Mariae Conceptu fuisse opinatum; & ut solide probent, in medium producent vehementes conjecturas, & gravissima argumenta, quae faciunt astitas fuisse operibus D. Thomae lineas, aut clausulas, quae minus pie attestentur opinioni. Alii vero libenter admittunt, S. Thomam perspicue contra puram Virginis Conceptionem illis in locis severius pronunciasse; caeterum in hac doctrina a se ipso dissentaneum, & discordem fuisse, cum omnino certum sit, aliis in locis pro immunitate Mariana ab Originaria lae stetit, compulsum quidem certiorum rationum momentis, & ipsius rei quasi experimento, & contactu quodam.

S. Thomas Virgini adhaerens.

1777 Testimonia igitur D. Thomae pro immunitate Virginis a prima noxa haec sunt: Primum ex opusc. 8. de Expositione Angelicae Salutationis. Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Producit a Bernardino de Buis. in Officio de Conceptione, octava die Lect. 1. a nostris Canisio lib. 1. de Maria Deipara, c. 6. & Salmerone in Epist. ad Roma. disput. 51. Secundum

S. Thom.

dum adducitur ex Lect. 6. in c. 3. Epist. ad Galatas, juxta editionem Parisiensem anno 1529. & aliam item Parisiensem in via Jacobea sub quatuor elementis anno 1532. & Venetam anno 1555. in quibus ita legitur: Non invenio mulierem, praeter Virginem Mariam, quae a peccato originali immunis esset. In editione Veneta additur in margine: Vide hic esse de mente S. Thomae, nullum habuisse peccatum B. Virginem. Certum ratumque aliud extat Angelici Doctoris testimonium ex 1. dist. 45. q. 1. a. 3. ad 3. ubi sic habetur: Puritas intenditur per recessum a contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, & nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali & actuali immunis fuit: fuit autem sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Consonat sibi D. Thomas in eodem 1. Dist. 17. q. 2. a. 4.

Herbes.

P. Possiv.

S. Vincen. Ferrar.

1778 Claruit anno 1320. Herbes Natalis Brito, clarissimus Thomista, Praedicatorii Ordinis Magister Generalis, qui est adversarius immaculatae Virginis Conceptioni olim extiterit in 3. dist. 3. postmodum re melius perspecta, piam tutatus est opinionem in Commentariis ad Epist. 2. Corint. capite 5. premissis enim illud, Ergo omnes mortui sunt, ita sentit: Omnes itaque mortui sunt in peccatis nemine excepto (decepta Matre Dei) sive originalibus, sive voluntate additis. Ubi observa cum nostro Antonio Possivino in Apparatu sacro, antiquam & veram libri Herbei inscriptionem, eam esse: Interpretatio litterarum Doctoris Gentium, quam Hervaeus de majoribus, vel ab ipso Deo sumens composuit. Forsam, Majorum nomine priores Dominicanae suae Familiae Patres intelligit, a quibus illam doctrinam quasi haereditario jure suscepit: nisi major veteres Ecclesiae Proceres intelligere.

1779 S. Vincentius Ferrerius Valentinus, vir plane Apostolicus, & egregius divini verbi buccina, or floruit anno 1410. lingua & calamo Marianam immunitatem ubique praedicavit, & vulgavit, ut qui Virgini adhaerens. Testimonia illius luce sunt clariora pro sancto Deiparae conceptu. Lege Sermonem integrum de Conceptione Virginis, & Sermonem 1. de Nativitate ejusdem. Prae verba illa ex Sermone 2. de Nativ. Mariae: Non credatur quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim atque anima fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in caelo fecerunt festum Conceptionis. Iubet: Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariae, quia sine tenebra culpe facta est. Mitto alia ad rem perspicua testimonia.

1780 Innumeri alii ex eadem Praedicatoria Familia scriptores sapientissimi Virginem Matrem a prima culpa immunem pronunciarunt. Petrus de Tavantasia in 3. d. 3. qui postea ad Pontificatum evehctus, appellatus est Innocentius V. Joannes Parisiensis in 3. d. 4. Bartholomaeus Pisanus Tractatu de Virgine Deipara, fructu 3. Joannes Taulerius in Sermone de Purificat. Virginis, Robertus Holkot in 3. sentent. disput. 3. & in Sapient. Salom. capite 7. Joannes Montesinus insignis Theologus, qui minus piam sententiam publicè in Academia Parisiensi retractavit, & pie subscipit; de quo Gaguinus P. Ideph. de Flores in Ecclesi.

in Historia Francorum in Carolo VI. Joannes a Veri, qui in eadem Academia suam similiter retractavit opinionem, Marianam immunitatem contestans; prout in processu authentico legitur, qui servatur Murciae in Cartophilacio Caenobii Fratrum Minorum. Joannes a Turrecremata Presbyter Cardinalis, & Episcopus Sabinus in 3. disput. 3. quaest. 1. & in libello speciali de Conceptione. Petrus Dore Parisiensis Doctor in libro Gallico Imago seu idea Virtutis inscripto, cap. 1. & 2. Guilielmus Pipin, nobilis sui temporis Ecclesiastes in Sermone de imitatione sanctorum, & in Sermone de pura Conceptione, Sanctius Porta in Mariali, & in proprio Sermone de Conceptione, Hugo de Protost. in Sermone de Conceptione. Joannes Vignier. de peccato originali capite 18. vert. 2. Dominicus Soto in libro de Natura & gratia libro 1. capite 7. & in capite 5. Epistola ad Romanos, Ambrosius Catherinus in praefati Tractatu de pura Virginis Conceptione, & in Genes. capite 3. & alibi saepè in aliis opusculis. Denique, ut, compendii gratia, alios interim praetermittam, qui verbo & scripto immunitatem asserunt Marianam, eam ubique & semper tutatus est Beatus ille Ludovicus Beltran, qui floruit doctrinae & sanctitate apud Valentinos anno 1550. purae Conceptionis studiosissimus. De quo vide Vincentium Justinianum è Dominicano Ordine in Additionibus ad vitam S. Ludovici Beltran c. ultimo, ubi pie & ipse sententiae applaudit.

1781 Igitur ex haecenus observatis liquet, quo jure de se praedicet Deipara Virgo: Quasi Palma exaltata sum in Cades, seu Engadidi: in Dominicana nempe Familia felicissima, fortunatissima, atque stellarum fonte splendidissimo; ubi Maria ad instar palmae arboris victorialis ab ipsa Conceptione sublimis sese in victoriam extulit. Est enim Palma egregium Mariae perpetuè sanctae & impollutae symbolum, gloriosos de tartareo Dracone revehentis triumphos. Unde Siracides verba sic illustrat Hugo de S. Victore lib. de Institut. Monastica Serm. 47. qui est de Assumptione. Bene B. Dei Genitrix se veluti Palmam exaltatam in Cades gloriatur, quia spiritalibus hostibus potenter & victoriosè subactis, non dolore criminum, sed amore praemiorum compuncta suavissime probatur. Subinde Cant. 7. 7. sponsum sponse descriptionem sic claudit: Statura tua assimilata est Palmae. Hebraicè cum articulo: hac tua statura, quam scilicet impensè admiror, & enixè amo. Unde LXX. Haec magnitudo tua similis facta est Palma. Pro statura Hebraicè est coma, a verbo cum, quod est surrexit, stetit, confirmatus est. Illud LXX. nunc reddunt vivo, id est, gigno, facio. i. Paral. 6. 10. aliquando avatelo, id est, orior. Job. 11. 17. quandoque vireo, id est, ingredior Gen. 19. 35. Inde ergo liceret vertere, Erectio tua, generatio tua, ortus tuus, ingressus tuus similis est Palmae. Ut staturam quidem significet constantem ab ipsa prima generatione, a primo ortu, & in vitam ingressu non minus firmam, quam statura sit Palmae, quae a primis radicibus palma est, victrix victicifque triumphus.

Exaltata Virgo, quasi palma, in Dominicano Ordine, quia semper victrix, nunquam vicia.

Hugo Victor.

Cant. 7. 7.

נסק סק

Explicat hunc locum de B. Virgine Cardinalis Hailgrinus, qui ante 400. annos claruit.

Malgrin.

Statura ejus, videlicet relictio bona intentionis, & sancte operationis directio, assimilata est Palmæ; ut sicut Palma, id est, arbor triumphalis Crucis Dominice, terribilis est malignis spiritibus, sic B. Virgo merito sue relictionis malignos spiritus terreat, & expellat. Similiter Alanus de Insulis, qui obiit anno 1094. apud nostrum Del Rio, explicat de victoria, quam Maria rexit de diabolo, & peccato. Itaque in hunc modum gloriosissime exaltata in Prædicatorio Ordine prædicatur Deipara Virgo.

Cant. 1. 14.

150

1782 Ad illam proinde ita exaltatam, sicut Palmam, ea revoces Cant. 1. 14. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Pro Cypri est Hebraicè copber, quod significat pretium, quo vita hominis redimitur, atque adeo, quo a morte præservatur. Exod. 21. 30. & capite 30. 12. Num. 35. 31. Proverbiorum 6. 35. & capite 13. 8. Unde licet veterere; Botrus redemptionis, seu præservationis, aut præservantis pretii, dilectus meus mihi. Diximus supra, ex nonnullorum placito, Botrum Cypri, esse dactylos Palmarum, quibus Engaddiani colles fertiles sunt. Palmæ igitur triumphali arbori Deipara Christum dilectum suum exultabunda confert; atque jucundissimum sibi, suavissimum, utilissimum futurum ejusmodi Palmæ fructum; quo ipsa nimirum præservetur ab originali noxa, per præservativam redemptionem, & sanguinem præservantis pretium. Nec de nihilo est, quod dixerit, in vineis Engaddi signa. im id esse eventurum: innuit enim (ut reor) Christum Lomiam gloriosè exaltandum in Dominicana Familia quasi Palmam in Engaddi; in qua, & per quam Virgo perspicuè demonstrabit, sibi ejus dilectum fuisse Botro redemptionis, præservationis, & præservantis pretio, ut perpetuò esset sancta & impolluta. Vide quæ ad hunc Cant. locum supra diximus.

S. Ansel. Victorin.

1783 Denique, esto, plures è Prædicatorio Ordine exierint, extentque, qui certo quodam auctoritatis & rationis pondere commaculare contenderint Deiparæ Conceptionem, ei in illo instanti victricem palmam denegantes, & grave originalis delicti jugum imponentes, toto in oppositam pianque sententiam conspirante Orbe; Reclamabunt omnes cum S. Anselmo: Hodie concepta est Palma: & cum Adam Victorino in Prosa de Assump. B. V. Mariæ, Salve Verbi sacra Parens, &c. Palmam præfers singularem, nec in terris habes parem, nec in cali curia. Et illud item, quod de Palma adferunt Aristoteles in Problem. Plutarchus in Symposiac. & Gellius lib. 3. c. 6. nempe, Palmæ hujusmodi esse indolem, & naturam, quod lignum illius imposito pondere non flectatur, cedat, aut frangatur more arborum aliarum; sed potius contra nitatur, & oneri se opponat, & instar fornicis se attollat: idcirco ajunt, Palmam symbolum esse victoriæ; victor enim, & foris athleta adversum fert pectus in hostem, & quamvis rela impluant, aut plumbeæ glandes, nescit cedere, sed Clypeo se involvens ultra hostem provocat. Ajebat olim Deipara de se: Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Honorius extulit: pugnaverunt pro me; ad quem sensum vocanda est Septuaginta translatio: pugnaverunt in me. Valdè inter se opposita apparent, pugnare contra aliquem,

Cant. 1. 6

& pugnare pro aliquo; nam illud hostilitatem præ se fert; hoc autem propugnationem. Rem elucidat Joannes Picus: Fideles Ecclesie filii meam innocentiam impugnaverunt, sed non expugnaverunt: atque adeo eorum impugratio, & hostilitas gloriam, & splendorem mihi adauxit. Certè si pauci ex Dominicano Ordine immunitatem Deiparæ impugnaverunt, innumeri ex eadem Familia propugnarunt, quin ne unus quidem potuerit expugnare: imò ex nonnullorum impugnatione major Virgini Matris splendor conciliatus est; quasi nullus pugnaverit contra illam, sed pro illa omnes.

SECTIO XL.

De gloriosa admodum Christi, & Mariæ exaltatione in sanctissima Minorum, sive Franciscanorum Familia per Hierichuntinum Tractum designata.

1784 **O**bservant hic sacri Interpretes, & est etiam illorum observatio, qui Terram sanctam describunt; Cades sive Engaddi vicinam esse Jerichuntini; imò sunt qui Jerichuntem eandem cum Engaddi putant: tanta est utriusque similitudo, & vicinitas. Utraque Palmæ fertilissima, opobalsami, vinearum; nisi quod Jericho præstantibus veniunt, fragrantiaque exuberantibus Kosis, seu Kofariis, præ cæteris Judææ regionibus nobilitata est. Statuimus jam, per Cades seu Engaddi Prædicatoriâ S. Dominici familiam appositè designari; cum autem hujus germana soror, sacra Minorum Religio extet, eodemque ferè tempore na a, & charitatis vinculo jam olim tam in suis Initu. oribus, quam in filiis conjunctissima; sitque inter utranque tanta similitudo; reliquum est, ut per Jericho, quæ vicinam habet Engaddi, figurari autumemus sanctissimum Franciscanorum Ordinem. Ad cujus institutionem elegi tibi Deus S. Franciscum Assisium, Assisii in Umbria natum, virum pianè Apostolicum, qui mundi contemptum, ac paupertatem non affectu tantum, sed effectu etiam insigniter profecurus est, ut Ecclesiam Dei in deterius declinarem, & morum disciplinam erigeret collabentem. De hac Religiosa Familia plura videre licet apud multos, Suarez Tom. 4. de Relig. tractatu 9. l. 2. c. 7. Manuel. Roder. Minorum Tom. 1. q. Reg. q. 1. a. 3. & q. 4. a. 1. 2. & 3. Antonium Cordubensem ex eodem Ordine in Expositione super Reg. fratrum Minorum, Surium in Vita S. Francisci die 4. Octobris, auctore S. Bonaventura, Waddingum in Annal. Minorum.

Germana Dominicana Familia soror Franciscanorum

Ejus Institutor S. Franciscus Assisius.

§. I.

Jericho etymon ad Franciscanos spectat ob summam animi demissionem summæ adsociatam exaltationi.

1785 **M**inorum igitur Religiosam hanc Familiam sanctitate, doctrinâ, & numerolitate suâ utique maximam, per Jerichuntinum campum designari, opinamur haud ineptè. Quod in primis efficio ex ipso Jericho etymon. Sonat enim Jericho sacris Doctoribus Luna, vel odor ejus. Lunam dici, nonnulli putant, quod ille campus lunæ nascentis figuram repræsentet. Odorem appellati exstima-

Ecl. 43. 7.

Plinius.

existimant, ob odorem florum, aromatumque, rosarum signatim, & opobalsami copiam, ut in enodatione textus statuimus. Certè si Lunæ naturam & dotes spectes, aptissimum illa quidem extat Franciscanæ Religionis symbolum. Lunam commendans Ecclesiasticus ajebat c. 43. 7. Minuitur in consummatione, id est, usque ad summum: & crescit mirabiliter in consummationem, usque ad summum etiam. Quod Plinius expressit illis verbis l. 2. c. 9. Immo orbe plena, ac repente nulla. Unde eodem vocatur Humilis, & excelsa, quia aliàs admoa calo, aliàs contigua montibus. Et rursus, novissimum sidus, terris familiarissimum. Haud dubiè, symbolicè designatur Francisci ejusque Familiæ summa demissio cum summa exaltatione conjuncta. Summam præ se fert demissionem vel ipsa hujus Religionis appellatio: ut enim S. Bonaventura in Vita S. Francisci. 6. Humilitatis formâ Franciscus fratres suos voluit vocari Minores, & Prælatos sui Ordinis, dici Ministros, ut & verbis uteretur Evangelii, & ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quod ad descendam humilitatem ad Scholas humilis Christi venissent. Verè Minorum Ordo, novissimum sidus, ob animi demissionem; verè terris familiarissimum: verè ejus diminutio usque ad summum; sed verè illius incrementum & exaltatio usque ad summum: verè humilis, sed excelsa Religio, ob summam humilitatem ad summam sanctimoniam, doctrinam, & dignitatis celsitudinem evecta à Deo, ab hominibus. Quis neget? Ex Minoribus summi Ecclesie Pastores quatuor jam numerantur. Nicolaus quartus, Alexander V. Sixtus IV. & Sixtus V. Cardinales verò quadraginta duos numerat Hier. Rom. de Republica Christiana c. 20. Episcopi, & Archiepiscopi innumerabiles sunt. In sanctorum numerum relati quam plures etiam in fidei causa mortem oppetere, qui Martyrii purpurâ resplendent.

Gen. 1. 16.

Instar luna est, lumine majus & minus.

Cajetan.

Matth. 5. 16.

Sol ministrat, esse luminare majus.

Theoph.

1786 Genesis 1. 16. sic habes: Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præset diei; & luminare minus, ut præset nocti. Vides, lunam vocari & luminare magnum & luminare minus? luna & re & nomine minor cæteris astris est, humilis porrò adeo ut contigua montibus sit, terrisque familiarissima. Hac una de causa, luna amplitudinis elogio stellas præfertur, & reliqua sidera magnitudine superare existimatur. Luna (ait Cajetanus) quia propinquissima est nobis, apparet major qualibet stella. Francisci Familia ob illustrem animi demissionem, luminare minus est, minor extat & re & nomine, omnibus familiarissima, sine fastu, sine ambitione. Ideo luminare magnum nuncupatur, & æstimatur non vulgi solum, sed Dei judicio; apud quem ea virtus pluris habetur, quæ majorem apud homines consequitur æstimationem. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in celis est. Matth. 5. 16. Sol ipse, est luminare majus sit præsentiam munus erga diem adimplens, adhuc tamen, sublimitatis fastu quasi deposito, subjicit se tanquam totius naturæ minister, nobis operantibus ministrans, & facem præferens. Unde Hebraicè dicitur Semes à verbo Chaldaico samis, quod ministrare significat. Non aliter luna, quæ veluti nocturnus sol appellatur à Theophrasto de signis pluviarum, est luminare magnum sit, tanquam luminare

minus nocti præest inferioribus ministrans. Laborat planè luna (ajeat S. Maximus Episcopus. Taurinensis de defectu lunæ) sed laborat obsequiis, sed laborat officiis; non laborat, ut pereat; sed laborat, ut seruiat. Solem Christum nuncupes, Francisci Familiam lunam. De se suisque Christus verissimè ajebat Lucæ 22. 27. Qui major est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat. Minister Christus appellatur, & quasi luminare minus sit, cum ipse extet luminare majus, Præses diei, & Princeps fulgorum. De hac Christi schola Franciscus edoctus; est prænovit suam Familiam luminare magnum in Ecclesia futuram esse, luminare tamen minus, id est, lunam, compellari voluit, Minorum nempe Ordinem; & Prælatos illius Ministros. Verè Minorum Familia quasi alter sol Minor, sic luna vocatur ab Aristot. de Generat. Animalium lib. 4. cap. 10.

S. Maxim.

Luc. 22. 27.

§. II.

Ingens Franciscana Familia fecunditas ingenti Ecclesie exaltationi conjuncta.

1787 **U**nam esse fecunditatis symbolum, multi observant. In numismatis Cornelie Augustæ, cum lunæ imagine hæc legitur inscriptio, Fecunditas: ut refert Pierius libro 44. A Romanis Genitrix orbis appellabatur: una enim cum sole ad rerum sub-lunarium productionem & conservationem conspirat. Unde illud Catulli lunam alloquentis: Tu rustica agricola tella bonis frugibus implet. Et Gentes ad lunæ fecunditatem respicientes, eam in partibus implorabant, & quasi obstetricem credentes, illam Junonem Lucinam compellabant. Subinde noster Alcazar ad caput 12. Apocal. arguit existimat, Ecclesiam parturientem lunâ, id est, Christo, vel Deiparâ nubixam perinde esse quasi veræ Lucinæ ope & auxilio adjutam, ut faustè pareret fidelium ex Gentilitate multitudinem. Certè appositissimum Franciscanæ Familiæ emblema, ob ingentem illius fecunditatem, & copiosam filiorum sobolem, lunam esse, quis neget? In generali Conventu Assisinati paulò post ab hujus Ordinis exordio, numerata sunt quinque millia capita, atque eo ipso tempore quingenta simul adjuncta. Itaque brevi totum orbem complevit, quin etiam temporis progressu, in eam, quam nunc videmus, pervenit amplitudinem, ut in tres, aut etiam plures partes distributus sit, hæque ipsæ partes ita Religiosis abundaverint, ut singulæ ferè singulos Ordines benè magnos repræsentent. Rursus, tempore Calixti III. anno 1455. regnante Imperatore Federico IV. Minorum Ordo ita excreverat, ut se Ecclesie Dei obligaverit dare triginta millia fratrum ad pugnandum contra infideles, remanentibus totidem ad cultum divinum peragendum: uti scribit Emanuel Rodericus Tom. 1. Quæstio. Regul. q. 2. a. 3.

Catullus.

Apoc. 12.

Ingens Franciscana Familia fecunditas, copiosa filiorum soboles. P. Plati lib. 2. de Bono Status Religio. c. 22.

1788 Huc jam spectasse putaverim divinum Sponsum Cant. 7. 2. Religiosam commendantem Ecclesiam (ut noster explicat Alcazar) sub nomine Simamitis, id est, capitiva,

Commendatur illa fecunditas.